

Badische Landesbibliothek Karlsruhe

Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe

Historiae ecclesiasticae saeculi ... XVI supplementum

Fecht, Johann

Francofurti et Spirae, 1684

VD17 VD17 3:315948Z

XXXVI.

[urn:nbn:de:bsz:31-122751](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:bsz:31-122751)

næ Gallicæ me doceas & clariss. viro D. Valentino Erythræo & M. Gloccero reverenter salutem meis verbis preceris. Benè vale, Rostochii, Nonis Martii, 1563.

David Chytræus.

XXXVI.

S Ex quo à vobis nuper discessi, Reverende vir & charissime frater, nulla fuit dies, qua non sæpè tui atque tuorum memor fuerim. Est etenim jucunda mihi recordatio conversationis vestræ, in quibus & pietatem & moderationem, in controversiæ compositione, Antistitibus Ecclesiæ & servis Christi dignam, animaverti. Nec dubia mihi spes est, quin paroxysmus antea actus, bono sit Ecclesiæ Scholæque vestræ cessurus, Domini beneficio & virtute, qua mala etiam nostra ad sui nominis gloriam, regni que sui profectum novit convertere. Eum non desinam præcari, ut vos omnes misericorditer servet, dirigat & tueatur. Zanchus hac transivit, thermas versus, cumque me quaesivisset, domi non offendit, qui eum audierunt de negotio controverso & Concordia facta dicentem, valde placide & pie locutum ajunt, ut spem foveant, duraturæ apud vos pacis & tranquillitatis. Si Tigurum aut Galliam spectat, mox cognoscemus, eaque de re, si hæc redeuntem potero rescire, familiariter compellabo. Pro scripto Eberi à T. D. nobis donato magnam habeo gratiam: perlegi diligenter, perlegerunt & alii nonnulli, nec pœnirendum dedit fructum, ut quo alii instruuntur, alii confirmantur, in solidæ veritatis doctrina, communicavi enim pluribus. Nam cum citra contentionem moderate negotium tractet, teneriora judicia minus offendentur & amplectuntur facilius verâ sententiam: Quo magis gaudeo, etiam latine æditum scriptum ad nos pervenisse. De Galliæ statu, multa multi, sed ea indubiè vobis compertiora omnia. Hic de pace agitur, inter Bernates & Ducem Allobrogum, quibus accesserunt Genevates, eidem controversiæ cum Bernatibus impliciti. Tractatur negotium ab ordinibus Helveticis. Ad sunt etiam Legati Regum, Hispaniæ & Galliæ, tum & Imperatoris. Verum quis sit futurus eventus, constare nondum potest. Oramus Dominum, ut pia queat pax obtineri. Bene vale, vir reverende & charissime frater, cum symmisticis fratribus & Dominis mihi perpetua observantia colendis, uxore, totaque familia, salutant eosdem symmisticæ mei & Coccius imprimis. Basil. 28. April. an. 63.

Hunc præsentium latorem tibi commendo. Noster est ex ministris Marchionici, D. Haaci Kelleri, neporis Grynæi patruelis. Cupit visere vestras Ecclesias, Scholam & Urbem.

T. D.

totus, ut semper

S. Sulcerus.

XXXVII.